

doceat determinare. Sed ideo dogm<sup>at</sup>icus oratione recta utitur, quia ex scripturis et patribus addiscit de rebus. Et ideo positivus oratione obliqua utitur, quia auctores sacros vel patres investigat quales fuerint quidque intenderint. Unde et ulterius elucet quid intercedat inter categorias, uti dicunt, biblicas et dogmaticas. Illae enim sunt docentium scripturarum; hae autem audientis, credentis, ~~ex rebus~~ addiscentis Ecclesiae. Illae imotescent ex auctoribus sacris investigatis; hae evolvuntur in rebus addiscentis.

Quam tamen differentiam qualis sit ulterius considerari oportet. Quicumque enim docentem intelligit, simul intelligat necesse est tum (1) rem quam verba significant, tum (2) verba quibus res significatur, tum (3) ipsum auctorem quid intenderit. Nam qui a doctore de rebus addiscit, non ab alio quam a doctore addiscit; neque ideo a doctore addiscit, quia doctorem non bene sed male intellexerit; sed id ipsum intelligens quod doctor docuit, hoc addiscit. Pariter, qui doctorem investigat, non aliud de doctore cognoscit quam quod ille de rebus dicit; neque res praetermittit ut in mentem doctoris miro quodam atque inaudito modo penetret; sed ad ipsas res intendens qualis sit doctor perspicit.

Quae omnia verissima esse duco. Sed aliud etiam esse opinor de minimis et quasi nudis elementis ratiocinari, aliud totum illud conspicere quod ex elementis certa quadam lege ~~compositum~~ ordinatis atque compositis conflatur. Non enim ideo inter se ~~se~~ differunt theologia biblica et dogmatica, quia alia aliter ~~sumunt~~ eadem verba intelligat. Sed ideo differunt quia alio et alio reguntur fine, quia diversi fines singulas operationes dirigunt, quia singulae operationes in diversas series componuntur, quia diversae series in diversas evolvendas scientias procedunt.

Qualis vero intelligatur haec identitas haecque continuitas, neque brevius neque tutius dicitur quam illis Vincentii Lirinensis verbis quae sua fecit c. Vaticanum I: 'Crescat igitur... et multum vehementerque proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum et saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia' (DB 1800).

Nostrum ergo proponitur studio processus quidam historicus, universalis, singularis: historicum enim est quod nisi aetatum et saeculorum gradibus non perficitur; universale est quod non ad paucos vel privatos restringitur sed ad omnes se extendit et in ipsa invenitur Ecclesia; singulare demum est quod in genere, in dogmate, in dogmate, in sensu, in sententia identitatem ita servat ut nihilominus crescat intelligentia, augeatur scientia, proficiat sapientia.

Sed, cum de ipso hoc processu agat ~~XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX~~ principalis quaedam huius operis pars, nunc potius dici oportet ad quodnam genus reducatur hoc nostrum studium. Dogmaticus enim multa et diversa adhibet, linguistica nempe et grammatica, litteraria et historica, biblica et patristica, mediaevalia et recentiora. Quibus in omnibus, non aliorum fines prosequitur sed suum, neque aliorum methodis utitur sed sua et propria. Quam ob causam, clare et distincte perspicui oportet quoniam sit hic finis, qualis haec methodus, et quemadmodum diversorum et evitari possit confusio et obtineatur concordia, conspiratio, cooperatio.

Iam vero, ut a facillimis incipiatur, inter ea studia enumerari potest theologia dogmatica quae documenta scriptaque adhibeant. Quorum omnium ita ipsa initia unum sunt, ita inter proficientes paulatim distinguuntur et seorsim coluntur, ita inter perfectos ~~XX~~ distincta et seiuncta retinentur, ut tamen aliud ~~X~~ sub alio

ut propriam suam mentalitatem non deponendam sed retinendam atque perficiendam ducat.

At longe aliter procedit positivus. Sua sane mente operatur, eamque perficit; suum extendit horizontem, et eorum quae antea cognovit adaptat complexionem atque contextum. Quae tamen omnia non ideo facit ut de rebus addiscat, sed ut auctores intelligat quales fuerint, quid intenderint, quemadmodum alius aliter res sibi repraesentare, concipere, dicere solitus sit. Quem ut attingat finem, alia utatur methodo necesse est.

Et prima quaedam est differentia, quod dogmaticus illud de rebus verum addiscit quod auctor signate dixit, thematicè exposuit, explicite cognovit, sed quod verum quaerit positivus illud nondum est <sup>signate</sup> ~~explicite~~ dictum, nondum thematicè expositum, nondum explicite cognitum. Ipsi enim auctores quales sint, quemadmodum procedant, quali modalitate ipsi sibi res repraesentent, concipiant, dicant, potius actu exercito manifestant quam signate dicunt, potius inter vivendum et scribendum experiantur quam thematicè exponunt, potius ex parte subiecti intendunt atque volunt quam per modum obiecti concipiunt, iudicant, exprimunt. Quam ob causam numquam brevis esse potest inquisitio positiva. Dogmaticus sane, ubi legit, Ego et Pater unum sumus, illud statim verum de rebus addiscere potest, aliquo nempe sensu Patrem et Filium non esse duo. Quod etiam positivus statim pro obvio habet, ita tamen ut totus suus labor maneat faciendus, cum illud quaerat quod nondum dictum sit, quod inveniendum sit, quod nisi ex multis et diversis indiciis undique collectis non intelligatur.

Altera deinde est differentia, quod dogmaticus ea lege suam mentem aperit suamque mentalitatem mutat ut nova et vera accipiat, digerat, teneat, sed positivus aliud aperitudinis